

R. 59. num. 46.
8
EXERCITATIO IVRIS CIVILIS

A D

L. LXXIX. D. AD LEGEM
FALCIDIAM

Q V A M

P. 296.
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

C H R I S T I A N O R A V

PHILOSOPH. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

DIE XV. APRILIS A. O. R. CIOIOCCCLXXII.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

S A M V E L B E R T H O L D

M E R S E B V R G.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



EXERCITATIO IURIS CIVITATIS

AD

LXXXIX D VD LEGEM

EVOCATIONI

674

ILLATIS ICTORVM ORDINIS VACUORUM

PARAEPSIDIA

C H R I S T A N O R A V

PHYSICI ET CHIRURGICAE SCOTIE

DIS EX ALEREIA A.D. M. CICIDCEXXII

1560

D E S I D E R I

ALEREIA

S A M U E L B E R Y H O L D

PHYSICAE

F I P S I A E

PHYSICAE ET CHIRURGICAE

V I R O
CONSULTISSIMO ATQUE AMPLISSIMO
CHRISTIANO MAVRITIO SCHWOPE
ILLVST. REGIM. MERSEB. SECRETARIO, SOCIET.
LAT. IEN. SODALI.

S. P. D.

S A M V E L B E R T H O L D

Multae profecto causae fuerunt, quae me mouerent, ut libellum hunc a memet ipso conscriptum et academico more defensum TIBI in primis dicarem atque consecrarem, TV que nominis dignitate splendoris quicquam ornamentique illi conciliarem. Neque enim solum TV auctor suasorque mihi extitisti, ut ad Iuris scientiam addiscendam animum adpellerem; verum etiam semper tot, tamque egregia benivolentiae atque liberalitatis specimenia documentaque in me edidisti, ut, si a BOEHRINGERIA, VENERABILI MATRONA, et qui ei necessitudinis vinculo iunctus est, FINDEISENO, quorum
xtrius-

O R I V

utriusque magna in me merita etiam publice collaudare possum, dis-
cesserim, neminem profecto habeam, cui plura atque maiora debeam,
quam TIBI. Accipe igitur hanc laborum meorum primitias, quas
vix ulli potiori iure, quam TIBI, offerre possum; sed accipe eas
ita, ut quem saepe nitem indulgentemque iuuentutis admiratus
sum iudicem, eundem et huius scriptiunculae censorem experiar. Im-
mortale autem Numen supplex veneror atque imploro, velit, vt
ILLOS, ita et TE, una cum CONIVGE ORNATISSIMA,
et RELIQVA SPLENDIDISSIMA GENTE, saluum
semper, fospitem, atque incolunem conservare, quo diutissime vt
omnibus, quibus prodeesse benignitate Tua studioque soles, sic et in pri-
mis mihi bene cupere, rebusque meis ex voto prospicere possis.
Quemadmodum autem semper in eo maxime sum emisus, vt omnes
intelligerent, me TE colere fautorem atque patronum, ita in poste-
rum quoque, vt denuo et magis aperte videant, me nulli unquam
pietate in TE atque obseruantia cedere, studebo efficere. Vale. Da-
bam Lips. XV. April. MDCCLXXII.

PROOEMIUM.

Cum ratio studiorum a me reddenda esset, et in publicum edendus libellus, quem academico more aduersus dissidentes defendarem, et si ceteras quoque Iuris scientiae partes magno semper in pretio habui, tamen scribendi materiam petendam existimauit portissimum ex Iure ciuili romano, cuius quidem amore, dici vix potest, quantopere sim captus suavitateque delectatus. Habet enim profecto studium illius tantam sibi iucunditatem adiunctam, vt, qui semel ad veterum Quiritium prudentissima praecepta accurate cognoscenda, eorumque sapientissimas rationes paulo penitus indagandas examinandasque se contulerit, is non nisi iniuritus ab iis recedere possit: ipsius vero huius iuris tam insignis praestantia est, magnificenter tanta, vt summi etiam viri, inter eosque teste ANT. MORNACIO ad L. I. pr. D. de Iust. et Iur. adeo CHRISTOPHORVS THVANVS Princeps Senatus Parisiensis, illud scriptam rationem eleganter appellare haud dubitauerint. Incidi autem maxime in L. 79. D. ad Legem Falcidiam, elegans sane fragmentum, quod de confusione patrimonii et contributione legatorum vtrisque tabulis relictorum agit, dignumque visum est, cui illustrando non nihil operae impenderem. Quamquam enim excellentissimi ICti, qui ciuilem prudentiam velut in sua possessione tenuerunt, ANT. GOVEANVS in Comm. ad Tit. D. ad Leg. Falc. in Opp. IAC. CVIACIVS ad Papin. Quaeſt. in T. I. Opp. poſth. et Lib. IV. Obſ. c. 34. FRANC. DVARENVS ad Tit. D. ad Leg. Falc. in Opp. THOM. PAPILLONIVS de ſubſt. pupill. C. VIII. in Otton. Thes. Iur. T. IV. nec non IAC. VOORDA ad Leg. Falcid. C. XI §. VII. occaſione L. II. §. 5. D. h.t. non nulla attulerunt, quibus ob argumenti coniunctionem, illud caput quodammodo illustraretur; tamen, cum data opera in eo expli-



cando haud versati mihi viderentur, sane non nihil adhuc diligenciae meae relictum animaduerti. Tenui autem in commentatione hac eum ordinem, vt, de auctore L. 79. pauca praefatus, ipsius legis, quam in duas partes dispescui, explicationem adgrederer, propositurus insimil accommodatam verbis illius facti speciem ac rationem. Humanissimos autem letores, vt benigne has pagellas excipiant, vehementer rogo atque oro.

§. I.

De Auctore L. 79.

Auctor legis 79. *D. ad Leg. Faleid.* quam illustrare instituimus, quemadmodum inscriptio luculenter testatur, est CAIVS, sive, ut in Codice Digestorum Florentino perpetuo scribitur, GAIUS, quamvis HIERON. ALEANDER in Praef. ad Caui Insit. et ANTON. SCHVLTING. in Praef. ad Iurisprud. Ante Iustin. pag. 6. secuti haud dubie ANTON. AVGUSTINVM de Nomin. proprie. π. in Ottōn. *Thef. Iur. Rom. T. I.* pag. 104. lit. a. qui sic scribendum esse monet, legi malint CAIVS, propterea, quod QVINCTI-LIANVS Insit. Orat. I. c. 7. docet, et priscae passim inscriptiones ostendunt, veteribus Latinis semper morem fuisse scribere CAIVS, etiam si aliter pronunciauerint. Quod esfi verum esse potest, extant tamen ipso fatente ANTON. AVGUSTINO Lib. III. Emend. cap. 3. ap. Ottōn. in *Thef. Iur. T. IV.* alia etiam monumenta, aliquot annis ante Iustinianum conscripta, in quibus occurrit GAIUS. Conferatur EV. OTTO in Praef. ad T.I. *Thef. Iur.* p. 19. qui plura de ista re erudit disseruit. Extitit autem CAIVS, ut aetatem eius paucis attingamus, non demum Diocletiani aeuo, cui THEOD. MARCILIVS ad §. 6. *Prooem. Insit.* illum adscriptis, aut adeo Iustiniani temporibus, sicut vix ANTON. VACCAE ad prooem. D. §. I. et FRANC. HOTOMANNO ad §. 6. *Insit. c.l.* quorum opinionem dudum exploserunt IO. GOTTL. HEINECCIVS H. I. R. Lib. I. c. 4. §. 312. et EV. OTTO in Praef. T. I. *Thef. Iur.* c. 1. sed iam sub Hadriano; id quod post Ant. Augustinum, Iac. Cuiacium, Iac. Raeuardum, Io. Bertrandum, Guil. Grotium, Hier. Aleandrum, Iac. Oifelium, et Aeg. Menagium, qui singuli iam in eo congenerunt, nouis fortioribusque argumentis evicit CAROL. FRANC. CONRADI in *Obseru. de vera aetate Caii ICl *etc.** in Att. Erudit. Lips. a. 1727. mens. Febr. Et ipse CAIVS hoc non obscure

obseure indicat. Nam in L. 7. pr. D. de reb. dub. Noſtra, inquit,
 aetate Serapias Alexandrina mulier ad Diuum Hadrianum perducta eſt
 cum quinque liberis, quos uno foetu enixa eſt. Et quamquam 10.
B E R T R A N D V S de Iurisper. Lib. I. cap. 20. duhius adhuc haeret,
 utrum c. l. intelligendus sit Ael. Hadrianus, an Antoninus Pius,
 quoniam 1Cti interdum, quod vno loco illum, id altero hunc Imp.
 rescripsisse dicunt, quemadmodum etiam Callistrati, Martiani, et
 Papiniani exemplis docuit, quae alii nonnullis additis repetit
E V E R . O T T O in Praef. ad T. I. Thes. Iur. pag. 29. et 30. qui et
 plura de hoc arguento differuit, certissime tamen illo in loco Ha-
 drianum designari conſtat e L. 36. D. de Solut. vbi Iulianus 1Crus,
 sub illo Imperatore clarus, id. quod **C A I V S** illic euenisſe tradit,
 sibi in Aegypto affirmatum eſt testatur, nec non e L. 3. D. si pars
 heredit. petat. in qua Paulus refert, Laelium hanc mulierem Alex-
 andria ad Hadrianum perducam vidisse. Vixit postea sub Anto-
 nino Pio, quamuis nondum prouediōris aetatis fuerit, vt perpe-
 ram sibi persuasit **A N T O N . S C H V L T I N G I V S** ad Hier. Aleandri
P raeſat. in Inſtit. Caii not. a. Deinde eum floruisse M. Aurelio An-
 tonino imperante, colligimus e L. 9. D. ad SCt. Tertull. vbi ad
 SCt. Orphitanum scribens, hunc Imperatorem ſacratissimum Prin-
 cipem ſuum vocat, quibus verbis denotari M. Aurelium Antoni-
 num vel c. princ. Inſtitut. de SCt. Orphitanio patet. Imo ad tem-
 pora Antonini Caracallae cum perueniſſe, commonitrauit **I A C .**
R A E V A R D V S Conieb. Lib. III. c. 19. cuius coniecturam ſtabilitum
 iuit **C O N R A D I C . l.** et cum hac ratione **C A I U S** aetas iuſtam vitæ
 humanae longitudinem viris doctis excedere videretur, egregiis
 argumentis denuo firmauit in Parerg. II. 5. p. 280. fqq. Vrget
 enim L. 42. D. de donat. int. vir. et uxor. ibique ſub Principe, cu-
 ius Caius meminit, non cum **A N T . S C H V L T I N G I O** ad Vlpiān.
Fragm. VII. §. 1. et C V I L . G R O T O de vit. ICtor. Lib. II. c. 7.
 Anton. Plūm, neque cum **E Z E C I A . S P A N H E M I O** Orb. Rom.
Exercit. II. c. 2. Marcum, ſed potius Antoninum Caracallam in-
 telligendum cenſet, propter Vlpiāni verba in L. 32. pr. D. de do-
 nat. int. vir. et uxor. e quibus hoc manifesto perfici potest. Re-
 te autem 10. **G O T T L . H E I N E C C I V S** c. l. **C A I U M** elegantis
 ingenii 1Ctum vocat: erat enim profecto vir ſummae existimatio-
 nis, et apud ipſos veteres celeberrimus. Pomponius L. 39. D. de
 ſlipulat. ſeruor. tanti eum aeftimauit, vt familiaritatis iure ſuum no-
 mina-



minaret. Et fuit adeo **C A I U S** inter quinque illos ICtos, quorum libris et scriptis vniuersis auctoritatem lectionis in iudiciis dedit **IMP. VALENTINIANVS III.** illustri illa constitutione ad Senatum urbis Romae missa, quae est *L. vn. C. Th. de Responf. Prudent.* ad quam vid. **I A C. G O T H O F R E D V S** in comment. Tom. I. p. 33. et **IO. AVG. B A C H I V S** *Histor. Iur. L. III. c. IV. S. 2. §. 3. p. 552.* Quanto autem in pretio ipsum habuerit **IVSTINIANVS**, vel exinde potest iudicari, quod ex eius scriptis tot fragmenta excerpti et in Pandecten transferri iussit. E multis libris, quos Caius edit, hic tantum iuuat commemorare *libros XXXII. ad Edictum Prouinciale*, quos Caracalla demum imperante ab eo compositos arbitratur **CONRADI** in *Obs. de vera aetate. Caii*, vbi et reliquorum tempora, quibus singuli prodierunt, diligenter inuestigauit. Et videtur quidem solus **C A I U S** e veteribus ICtis, quantum scimus, ad *Edictum Prouinciale* commentatus esse. In his autem libris hoc maxime propositum tenuit, vt edicta, a magistratibus diversis tam in Caesaris quam Senatus prouinciis proposita, ea nempe, quibus cum iure urbano atque ciuili, Edicto perpetuo potissimum constituto, similitudo aliqua intercederet, in unum corpus collecta interpretaretur. In quo ille, quae consuetudo tum erat ICtorum, ordinem ac rationem edicti perpetui in vrbe securus est; id quod indicant formulae: *ait Proconsul, ait Propraetor*, quibus passim vtitur. Quae omnia eleganter exposuit **IO. AVG. B A C H I V S** in *Prolus. de Edict. perpet. prouinc. p. 15. sequ.* Atque ex horum librorum, octavo decimo, quo ICtum de legatis egisse euincunt duodecim, quae ex eo libro super sunt, fragmenta, deponita etiam est *L. 79. D. ad Leg. Falcid.* ad quam explicandam nunc prius accedamus.

§. II.

Verba L. 79. Substitutione pupillaris quatenus duplex testamentum; super hac quaestione, an inter scatas ICtorum controvenerit.

Verba legis, quae ante omnia exhibenda sunt, in Codice Florentino hunc in modum leguntur: *Idem (Gaius) libro octavo decimo ad Edictum Prouinciale: In duplicitibus testamentis, siue de patrimonio quaeramus; ea sola substantia spectatur, quam pater, cum moreretur, haberet: nec ad rem pertinet, si post mortem patris filius vel acquisierit aliquid, vel diminuerit: siue de legatis quaeramus, tam*

ea

+ + +

ea, quae in primis, quam ea, quae in secundis tabulis reliqua sunt, in unum contribuuntur, tanquam si et ea, quae a filii herede relinquisset testator, a suo herede sub alia conditione legasset. Haec autores *Bastiani* Tom. V. pag. 390. quorum verba etiam iuuat apponere, ita in graecum translulerunt: Επὶ τοῦ διπλῶν διαθηκῶν ἐκείνη σκοπεῖτο καὶ οὐσία. Ηὐ διατήρη τοῦ ἀνέβου τελευθῶν εἰσαστε· οὐδὲ οὐ διαφερόμεθα, εἴτε ἡγέρσεν αὐτὴν δια παις, εἴτε ἐμείσωστε οὐδὲ εἰπάντων τῶν ληγόντων εἰς Φαλκίδος γίνεται, ὡσανεὶ τῶν ἀπὸ τοῦ ὑποκατασάτου ληγατεύθεντων δοκούντων ὑπὸ αὔρεσιν εἰς τοῦ ἀνέβου δεληγατεύσθατ. Quae HANNIB. FABROTTVS sic latine redidit: In duplicitibus testamentis ea substantia spectatur, quam pater, cum moreretur, haberet: nec refert, siue filius eam auxerit, siue diminuerit: et ex omnibus legatis una Falcidia detrahitur; tanquam si ea, quae a substituto reliquisset, ab impubere sub conditione legasset. De varietate lectionis vix est, quod moneamus, nisi quod apud HALOANDRVM pro haberet scriptum sit habuit. DVARENVM etiam legere reliquisset, refert BAVDOZA in Corpore iuris glossato, quod ipsius studio editum est. Non adscriptis locura, in quo lectio haec a DVAREN O posita, neque nos in eius Opp. sub tit. D. ad Leg. Falcid. vbi nonnulla ad h. L. notauit, eam inuenire potuimus. Quod si autem fides habenda BAVDOZAE, manifesto videmus, DVARENVM a genuinis verbis Florentini plane non diffessisse. Ad hoc autem caput recte intelligendum, in primis teneri debet, lata celebri illa lege Falcidia, qua cautum, ne minus, quam partem quartam hereditatis testamento heredes tarent, et si ultra dodrantem quid legatum, tantum ius retinere licet, ut eum partem salvam haberent L. 1. pr. D. h. t. cf. IAC. VOORDA ad Leg. Falcid. cap. 3. et C.H.R. MAVR. SCHW OPE histor. Leg. Falcid. inter tot tamque difficiles quaestiones, quae intuitu exquirendae quantitatis bonorum defunctorum, collatis cum ea legatis, et ponendae Falcidiae solebant enasci, in quibus extricandis veteres ICti, vti ipsorum fragmenta sub h. t. D. declarant, multum studii posuerunt; etiam hanc maxime ortam fuisse, quomodo in substitutione pupillari hereditas computanda, Falcidiaeque ineunda ratio esset. Hanc quaestionem CAIUS L. 79. D. h. t. tractat, vbi vim regulae illius a veteribus traditae: in tabulis patris et filii una Falcidia seruatur, quae positae est in duabus rebus, nempe in contributione legatorum et confusione patrimonii, breuiter quidem, at longe clarius explicat, quana

PAPINIANVS L. II. §. 5. h. t. cuius verba adeo obscura esse scribit FRANC. DVARENVS ad Leg. Falc. c. VIII. ut vix ullus locus in iure civili existimetur obscurior. Ac primum quidem noster pupillarem substitutionem duplia vocat testamenta, aequa ac postea VLPIANVS L. I. §. 1. D. si cui plus quam per Leg. Falcid. licet. Haec duo loca IAC. CVIACIO in not. poster. ad §. 2. Inflit. de pupill. substit. FRANC. HOTOMANNO ad §. 3. c. 1. et HIER. ALEXANDRO ad Caii Inflit. L. II. tit. 4. §. 2. occasionem dederunt statuendi. Proculianos substitutionem pupillarem duobus testamentis contineri censuisse, maxime cum apud IAVOLENV M L. 28. D. de reb. auctior. iud. poss. Consultoris iuris haud ignari, et fortasse Proculiani, ut putant HENR. BRENMANN ad Modestin. Heurem. c. VII. Seſt. I. §. 6. n. 2. et GOTTL. AVGVST. IENICHEN de Prisco Iauoleno §. XII. pag. 22. g. legissent verba: *Me illud maxime mouet, quod preeceptoribus tuis placet, unum esse testamentum: e quibus colligi volunt, Sabinianis hanc opinionem de pupillari substitutione sedisse, quia IAVOLENV Caelii Sapini discipulus fuit L. 2. §. vlt. D. de Orig. Iur.* Sed reple iam monuit ANT. SCHVLTING ad c. 1. Caii in Iurisprud. Anteius. pag. III. inde non statim sequi, alios secus sensisse. Et sane viri docti, dum in CAII et VLPIANI locis praefidium opinioni suaue querunt, non animaduertunt, tum illorum testimonia suspecta esse, cum Hercifundi fuerint, vt bene docuit GOTTFR. MASCOVIUS de Seſt. Sabin. et Proculian. cap. VIII. §. III. p. 127. et §. VII. p. 138. tum veteres sibimet ipsis hoc modo contradicuros fuisse. Nam et ipse VLPIANVS L. 7. §. 2. de heredit. vel action. vendit. ait; substitutionem hanc unum esse testamentum, et L. 20. pr. D. de substit. pup. etiam in iure Praetorio patris et filii testamentum pro uno haberi. Et quomodo L. 2. §. 4. D. h. t. dicere potuisset, constare, unum esse testamentum, si huius rei causa inter diuersarum sectarum ICtos controuersia agitata esset, cuiusque preeterea nec VLPIANVS, nec ullus alius veterum Prudentum meminerunt. Res autem sic habet: Constans juris ratio postulauit, substitutionem pupillarem unum esse testamentum: nam unum habet auctorem, et ynam solennitatem, estque pupillare testamentum pars et accessio paterni §. 5. I. h. t. quoniam prius sibi quis debet heredem scribere, deinde filio substituere; neque convertere ordinem scripturae, ut ex Juliano monet VLPIANVS L. 2. §. 4. D. h. t. verum potest diuerso respectu modo ut unum, modo

+ + +

ut duplex testamentum accipi. Hinc etiam **IUSTINIANVS** §. 2. I.
h. t. *Igitur*, ait, *in pupillari substitutione*, secundum praefatum mo-
dum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alte-
rum filii, tanquam si ipse filius fibi heredem insituisset: aut certe unum
testamentum est, duarum causarum, id est, duarum hereditatum, Et
recte quidem, propterea, quod mors et patris est filii expectanda
est, et duas aditiones sunt necessariae L. 2. §. 1. D. h. t. L. II. §. 1.
vd SCT. Trebell' Plura de hoc argumento disseruit **MASCOVIVS**
c. l. cap. IX. XVIII. 2. p. 215. sqq. vbi quoque **EDM. MERILLIVM**,
qui etiam hoc veterum dissidium non solum agnouit, sed etiam
plane inuersa ratione substitutionem hanc Proculianis pro uno; Sa-
binianis pro duobus testamentis habitam, commentus est, dodec
confutauit.

§. III.

*Prior pars L. de computatione patrimonii in pupillari substitu-
tione.*

Ait autem **CAIUS**: *in duplicitibus testamentis*, *sive de patrimo-
nio quaeramus, ea sola substantia spectatur, quam pater, cum morere-
tur, habuerit; nec ad rem pertinet, si post mortem patris filius vel at-
quisierit aliiquid, vel deminuerit:* Est haec prima pars legis, qua ICtus
agit de constituendo patrimonio in substitutione pupillari. *Patrimo-
nium, quod generaliter pro quibuscumque bonis accipitur, sicuti
multis locis Iuris civilis probavit BARN. BRISSON, de Verb. sign.
sub vot. patrimonium, hic denotat id, quod nobis a parentibus et
maioribus reliquit est, quo significatu vocem non solum CICERO
Lab. II. Epist. 16. pro Dom. sua c. 58. et Lib. I. de Orator. c. 5. sed
etiam ICti PAVLVVS L. 38. D. famil. epist. et SCAEVOLA L. 61.
D. de condit. indeb. usurparunt. Patrimonii autem sive hereditatis
vires exploraturum nosle oportet, quaenam annumeranda bonis a
defuncto relictis, quaenam vicissim de iis detrahenda, quoque pre-
tio aestimanda sint. Hinc rebus hereditariis annumerandum, quic-
quid testator moriens reliquit, ipsiusque proprium fuit, contri-
buendi fructus tempore mortis testatoris in fundo pendentes ma-
turi, licet nondum percepti, L. 9. pr. D. ad Leg. Fauid. Compu-
tandum porro legatum defuncto relictum, cuius dies eo viuo cessit,
tametsi repudierit ab herede, cum hereditatis aestimatio sic au-
geri, ipsaque hereditas pluris venire possit, L. 26. D. de bon. li-
bertor.*

b^rtor. Huc quoque referendum, quiequid in nominibus fuit
 moriente testatore, ne eo quidem excepto, quod ipse debet her-
 res, licet aditione confusum sit: L. 21. §. 1. D. de liberat. legat.
 L. 71. D. de fideiuss. hic enim, quamvis confusione liberetur, ta-
 men locupletiorem hereditatem viderur percipere L. 1. §. 18. D.
 ad Leg. Falcid. L. 41. §. 2. D. de Euātion. nec refert, qua ex
 causa, quoque iure debeatur. Neutquam vero hic ratio habetur
 vila actionum, quae heredibus non dantur, sed simul cum actore
 intercidunt L. 32. pr. D. ad Leg. Falcid. vti pluribus tradunt in-
 terpretes ad Tit. Inst. de perp. et temporal. action. et quae ad hered.
 Deducendum contra de hereditariis bonis si ponenda Falcidiae ra-
 tione omne a^s alienum, etiam quod ipsi heredi mortis tempore
 debitum fuerit, L. 6. C. h. t. Etenim sine eo deducto bona cu-
 iusquam non intelliguntur L. 39. §. 1. D. de V. S. Comprehen-
 dimus autem aeris alieni appellatione, quicquid defunctum cum
 moreretur ciuili vel praetorio iure, perpetua vel temporali actione
 praestare oportuit, modo non sit talis actio, quae morte rei ex-
 spirat, cum ea demum obligatio rei bonis deminutionem praefet,
 quae in heredem transit. L. 32. pr. et §. 1. D. h. t. Deducitur
 etiam quod heredis est, si qua forte, quae ad heredem perte-
 nent, defunctus tenuit. L. 7. C. h. t. Aeris alieni loco ab he-
 rede deducuntur pretia seruorum testamento manumissorum, hoc
 est, eorum, qui libertatem directam ex testamento consequuntur
 L. 39. D. h. t. vbi P A V L V S haud dubie eos quoque complecti-
 tur, quos heres rogatus est manumittere L. 36. §. 2. L. 37. §. 1.
 D. eod. tit. cum libertates etiam per fideicommissum dari possint
 L. 16. D. de fideic. libert. Praeterea vero funeris impensis §. vlt.
 Inst. ad Leg. Falcid. sub quibus quid intelligatur, tradit MACER
 L. 37. pr. et §. 1. D. de Relig. et sumt. fun. detrahit heres, nec
 non omnia, quae explicandarum venditionum causa impedit
 L. 72. D. ad Leg. Falcid. quo etiam iure recentiori a IVSTI-
 NIANO L. vlt. §. 9. C. de iur. deliber. relati sunt sumtus facti in
 testamenti insinuationem, confectionem inuentarii, aliasque ne-
 cessarias causas in L. 9. C. l. l. commemoratas. Omnibus autem
 his deductis, reliquae res hereditariae aestimandae sunt habita ra-
 tione locorum temporisque, quae nonnullam pretio afferre fo-
 lent varietatem L. 62. §. 1. L. 63. §. vlt. D. ad Leg. Falcid. vbi
 locutionem, formale pretium, quae in priori loco Vlpiani occur-
 rit,

rit, et varie admodum exposita est a viris doctis, quorum interpretationes relatas legimus apud DION. GOTHOFREDVM ad h. l. WISSENBACHIVM ad Pand. Part. II. Disp. VIII. §. II. et DVCKERVM de Lat. Vet. ICtor. p. 414. rebus, et struclurae verborum conuenienter explicat VOORDA c. l. cap. VIII. §. XIX. pretium, quod sibi quis non ex iudicio communis et rei veritate, sed arbitrio suo singit pro affectu, utilitateque singulari: quia palam est, illic formale pretium et iustum ac verum sibi innicem opponi. Quemadmodum autem in viuersum quoque refert nosse, quodnam tempus in computandis bonis defuncti sit attendendum, mortisne an aditae hereditatis, dum pretia rerum variant, ipsaque hereditas iacens vel augetur, vel minuitur, ita in primis opus illud scire in substitutione pupillari, ubi, cum duae sint hereditates, maxime dubium esse potest, utrum ad tempus mortis paternae ac filii sit respiciendum. Verum accurate hoc docuit CAIVS h. l. cum dicit: „ea sola substantia spectatur, quam pater, cum moreretur, habuerit.“ Et caute addit: „nec ad rem pertinet, si post mortem patris filius vel acquisierit aliquid, vel deminuerit.“ Etenim vti alias, ita et hic lucra et damna, quae post mortem patris emergunt, hereditatique afferuntur, soli heredi substituto cedunt. Ceterum tamen, quod dispositionem de damnis bonis hereditariis illato, in solum heredem redundantem attinet, eam non usque quaque, sed adhibita distinctione accipiendo esse e L. 30. §. 2. 3. 4. 5. D. h. t. diligenter animaduerit
VOORDA c. l. c. VIII. XXIII.

§. IV.

Pars posterior L. de ratione Falcidiae ponenda in substitutione pupillari.

Quemadmodum vero in omni hereditate non solum sufficie patrimonii vires explorasse, sed necesse eriam est, ut legatorum modus cognoscatur, Falcidiae ineundae causa; ita potissimum in substitutione pupillari, si pater testator et ab impubere et a substituto quaedam legauerit, modum hunc scire opus est, quia hic longe difficilius videatur estimare, quomodo ratio quorae sit ponenda. Tradidit autem hoc CAIVS ita: „sive de legatis quaeramus, tam ea, quae in primis, quam ea, quae in secundis tabulis reflecta sunt, in unum contribuuntur, tamquam si et ea, quae a filii herede

◆ ◆ ◆

*rede reliquisset testator, a suo herede sub alia conditione legasset.*⁴⁴ Haec verba continent alteram legis partem, vbi de contributione legatorum vtrisque tabulis relictorum I^ctus exponit. Cuius heredi, exhausta legatis hereditate, ius esse, quartam Falcidiam detrahendi, constat. Iam quaestio oritur, cum hic veluti duo sint testamenta, patris et filii, quomodo quarta deducatur. Sed regula est; *in tabulis patris et filii una Falcidia seruatur, de cuius ratione erudite nonnulla coniecit IAC. VOORDA c. l. c. XI. §. VII.* Hanc etiam *CIVIACIUS h. t.* ante oculos habuisse videtur, licet eius expressis verbis haud meminerit. Igitur non duplex, sed una tantum quarta de omnibus legatis, quas vtrisque tabulis relata sunt, detrahitur. Quod etiam luculenter declaratur auctoritate *Baptistae*, quorum verba sic habent: *καὶ ἐπὶ πάντων τῶν ληγάτων ἔστι Φαλκίδιος γένεται.* Atque in eo conuenient *GOVEANVS, DVARENVS, CVIACIUS, VOORDA*, aliique, et quidni conuenirent optimi interpretes, cum res ipsa e *L. II. §. 5. D. h. t. et L. I. §. I. D.* si cui plus, quam per leg. *Falcid. lic.* admodum clare pateat. At enim vero, si fas est dicere, ipsa species, ab his allata, etiam *L. II. §. 5. D. ad Leg. Falc.* insit, tamen, quod ad *L. 79. D. h. t.* atinet, mihi non penitus se probare videtur. Neque enim solum de eo disputandum erit, quomodo ratio *Falcidiae* ineat, si filius, intra tempus pubertatis decedens, hereditatem mortuo testatore vel deminutam, vel autam, nondum praefitis legatis, ad substitutum heredem transmiserit; sicuti enim tunc euenire potest, ut longe plus capiat substitutus quartae hereditatis paternae, ita priori casu nihil accipit, cum integra legata ab ipso debeantur, etiam si de suo dare, et quod deficiat legatis, supplere teneatur. Quapropter minus recte *IAC. CVIACIUS ad Papin. Quaest. et Obseru. Lib. IV. c. 34.* in *L. II. §. 5. h. t.* dictionem τὸ quadrante, relectam a *GOVEANO c. l.* cum ab imperito interprete profecta esset, et e margine in textum irrepsisset, retineri voluit, correctus ideo a *IAC. VOORDA c. l. Cap. XI. §. VII. p. 279. a.* Et sane cum de suo quadrante dare nihil aliud significet, quam *Falcidiae* beneficio non frui, sed quartam hanc ad legata conferre teneri, sequeretur, ut retenuta voce quadrante Papinius sibimet ipso contradiceret, dum statim addit verba „nec ad rem pertinet, quod ex nullo testamento praefatur ultra vires patrimonii.“ Adita igitur semel hereditate, quam

quam delatam substituto licebat repudiare, et legatarios, quibus a
 se legata data sunt, isto metu perculfos ad partem remittendam
 adigere L. 73. pr. D. h. t. debet ille integra legata, et quod des-
 cit, de suo supplebit. Verum de eo etiam potissimum loquimur,
 si tam pupillus, quam substitutus ita legatis onerati sunt a testa-
 tore, ut neuter quartam saluam habeat; quam speciem C A I V S
 maxime ob oculos habuisse nobis videtur. Itaque, quod D V A-
 R E N V S h. l. scribit, „sieri potest, et legata relicta in tabulis pri-
 mis, si per se confiderentur, non exceedant dodrantem; similiter et le-
 gata, quae a substituto relicta sunt, sed si confundantur, simul ex-
 cedant dodrantem“ aequa minus locum habebit, ac species ad L. II.
 §. 5. h. t. proposita. Nam si pater, quadringenta in patrimonio
 habens, a filio impubere, quem heredem instituit, ducenia le-
 ganit, et totidem a substituto, ita quidem, ut tota hereditas con-
 sumta sit legatis, tamen heres tantum secundus grauatus est, dum
 legata a filio relicta, qui impubes adhuc decepsit iis nondum praec-
 sitis, integra, ut aes alienum, soluere legatarii tenetur, et de
 legatis a fe relictis, quartam tantum detrahere potest: contra vero
 primus heres plane non est grauatus, quippe qui, ultra tempus
 pubertatis viuens, integra quadringenta perciperet, adeoque tunc
 nullam plane Falcidiam deducere posset. Hac autem ratione vix
 mihi verisimile videtur, istam quaestionem, de duplicitate in
 substitutione pupillari deducenda, oriri potuisse. Quae cum ita
 sint, species mihi sic videtur excogitanda, etiam si praevideam,
 nonnulla aduersus eam moneri posse. Pater, qui habet quadrin-
 genta in patrimonio, filium suum testamento heredem scripsit, re-
 licitis ab eo legatis CCCL. ideoque ultra dodrantem; ei substituit
 Titium, relictis quoque ab hoc legatis L. Mortuo impubere, an-
 tequam soluta legata, adi substitutus hereditatem sibi delatam, sed
 legatis cum a pupilli, tum a sua persona praefandis exhaustam.
 Quid igitur obtinet intuitu Falcidiae deducendae? Cum substitu-
 tio pupillaris veluti duplex testamentum haberetur, heres autem,
 a duobus diversis testatoribus uno eodemque tempore scriptus, si
 in utrisque tabulis grauatus sit, quia ultra dodrantem legatum,
 omnibus legatariis, qui tam ex uno, quam ex altero testamento
 capiunt, partem sibi debitam, adeoque duplificem quartam rede-
 detrahatur, neque tamen via fraus legi Falcidiae fiat: omnino etiam
 pupillariter substitutus videretur Falcidiam bis petere posse, ita, ut
 primum



primum impuberis, deinde suo nomine eam dederet. Hoc certe probabiliter dici potuisse ante regulam illam a veteribus constitutam, et de ea re dubitatum valde fuisse scribit DVARENVS c. l. At enim vero, si hoc fieret, tunc non solum tempus mortis paternae, sed etiam filii impuberis in ratione Falcidiae ineunda fore spectandum. Quod ne eveniret, sed res tantum, nulla plane lucri danni, quod pupillus fecit, ratione habita, ad eam bonorum quantitatem exigetur, quam pater moriens reliquit, voluerunt ICti, sicut etiam e CAIO h. l. perspicimus, legata utrisque tabulis reliqua in unum contribui. Verba aliquantum difficilia sunt, ita ut eorum vim vix statim assequi possit. Habent autem hanc potestatem, ut substitutus, subducta pupilli persona, reuocetur ad intellectum institutionis L. 11. §. 6. D. ad Leg. Falc. et ipsi patri heres quasi credatur extitisse; ut legata tabulis secundis a substituto reliqua, cum his, quae primis a filio data sunt, confundantur, et communis calculo sufficiantur, perinde ac si et ipsa primis tabulis sub conditione essent reliqua. Pender enim utique ab eventu futuro, utrum conditio sit extitura, an minus. Itaque si substitutus mortuo impubere tanquam heres primus scriptus considerandus est, facile intelligitur, semel tantum Falcidiae locum esse, nequit vero eam quartam et institutum et substitutum, quantumvis ultra dodrantem oneratos, adeoque bis petere posse.

§. V.

Ratio L. 79. b. 1 ex L. 57. D. de R. I. arcessita.

Cum vero supra dixerimus, CAIVM videri ante oculos habuisse regulam illam, in tabulis patris et filii una Falcidia seruatur; facile quidem apparet, cur pronunciauerit legatorum utrisque tabulis relictorum contributionem fieri debere. At enim vero potuit quoque illi fortasse alia et remotior ratio decidendi esse, qua veluti fundamento superstructa sit illa vetus regula, quam tamen aequo minus ac ipsam regulam apposuit. Exeat sane fragmentum in L. 57. D. de R. I. vbi CAIVS, bona, inquit, fides non patitur, ut bis idem exigatur, quod non inepte tanquam regula pro ratione substerni possit, quemadmodum nec dissitetur IAC. GOTHOFRE-
DVS ad L. 57. D. de R. I. maxime cum illud ipsum caput contineat regulam iuris, et depromptum sit ex eodem libro decimo octavo ad Edictum Provinciale, e quo etiam L. 79. D. ad Leg. Falc. decepta. Neque enim solum veteres ICti integros libros regularum iuris compo-

composuerunt, sicuti multorum exemplis egregie probauerunt
ANT. SCHULTING ad Ulpian. Fragm. Tit. I. in Iurispr. Anteius.
p. 560. et FRANC. CAROL. CONRADI in Orat. de Iurispr. Re-
gul. Rom. p. 18. sed etiam in aliis diuersi argumenti libris tales re-
gulas paucim atulerunt, a compilatoriis Digestorum postea sub
peculiari titulo positas, ut significarent, quomodo id, quod in uniu-
ersum constitutum erat, ad singulas species sub certo genere con-
tentas aptari posset. Sunt enim regulae iuris breves positiones, vel
enunciations, quibus, quidque de re iuris sit, breviter enar-
ratur, ut ideo valde errent, qui iuris regulas leges esse sibi persua-
deant, cum ipso monente PAVLO L. I. D. de R. I. non ex regula-
iuris sumatur, sed ex iure, quod est, regula sit. Ita harum autem
regularum iuris interpretatione, quae, sicut optimi interpretes do-
querunt, non recte suscipi potest, nisi perlectis omnibus capitibus
ex eo libro deponitis, et quo ipsa regula petita, quod facilius aesti-
mari queat, ad quaeam potissimum fragmenta vna quaevis regula
quadret, cum et ipsi quodammodo versari debeamus, faciemus, in-
ter reliquias illas vindicem particulas e CAII libro XVIII. ad Edi-
tum Provinciale decertas, nos nullum plane aliud caput inuenire
potuisse, ad quod regula illa in L. 57. c. 1. magis aptari possit, quam
L. 79. D. ad Leg. Fab. licet glossatores, et melioris quaque nota
interpretis IAC. CIVACIVS et PETR. FABER ad R. I. longe ali-
ter sentiant, quorum quidem interpretationes non necesse est com-
memorare. At enim vero de IAC. GOTHOFREDI expositione
paucis adhuc videamus. Recte is affirmat, multas species viris do-
cis affterri solere ad L. 57. c. 1. veram tamen nondum appositam,
Quo igitur speciem magis regulae accommodatam subiiciat, illam
existimat pertinere ad casum, vbi quis eandem rem eodem testa-
mento sibi saepius legatam non bis, sed semel tantum petere possit,
cum sufficiat, vel rem consequi, vel eius aestimationem: si nempe
certum aliquod corpus fuerit legatum. Nam si quantitas eadem in
eodem testamento saepius legata fuerit, tunc saepius eandem sum-
mam exigi posse, constat, perinde ac eadem res duorum testamen-
tis alicui legata, bis peti potest, dum ex altero testamento rem con-
sequitur legatarius, ex altero aestimationem. Et si vero haec G O-
THOFREDI opinio in yniuersum verissima est, et iuris praecepsis
maxime consentanea, tamen, cum loca excitata L. 34, §. 1. D. de
Legat. 1. et L. 66. D. de Legat. 2. tantum Ulpianum et Papinianum.

C.

auctor



+ + +

auctores agnoscant, e C A I I autem libro commemorato nullus plane a Viro Summo afferri queat, nec reapse ibi reperiatur locus, e quo appareat, ICtum de re eadem testamento eodem legata non bis petenda egisse; species apposita ad L. 57. D. t. l. vix accommodari poterit. Quas cum ita sint, aut compilatores Digestorum reprehendendi, quod ex illo C A I I libro regulam decerpserint, nullis deponitis ex ipso ICto locis, ad quos illa quadrare possit, aut JAC. RAEVARDO ad R. I. t. l. assentiendum, qui in illa L. 57. D. t. l. rationem inuenisse sibi visus est, cur ICtus L. 79. D. ad Leg. Falc. pronunciauerit, in substitutione pupillari, cum solius patris demortui patrimonium debeat spectari, vnam tantum Falcidiam detrahendam esse. Quod nec a bona fide, i. e. aequitate abhorret.

D O C T I S S I M O .
DISPV TATIONIS DEFENSORI

S. P. D.

P R A E S E S


Quem mihi obtulisti libellum, *VIR NOBILISSIME*, super argumen-
to meis quidem sermonibus non commendato, sed sola *TVA* volun-
tate delecto, docte eleganterque elaboratum, eum posteaquam magna cum
voluptate perlegi, integrum, uti acceperi, Tibi reddo, nullis omnino emen-
dationibus meis variatum, neque ullis accessionibus auctum atque locuplet-
atum. Quamquam enim, ut ingenue fatear, in nonnullis, quae nimis
confidenter proposuisse mihi videris, Tibi plane non adsentior: de sen-
tentias tamen *TVIS* vel ideo nolui quicquam minuere aut delere, quod
terto noueram, *TE*, cuius ingenium atque doctrinam ex disputationibus
apud me trebro institutis praecipue perspexi, omnia quae scripsi strenue
fortiterque pro cathedra esse defensurum. Quemadmodum autem
egregium hoc diligentiae studiis litterarum praefitae specimen *TIBI* ex
animo gratulor, ita quoque, ut prosperis omni in vita successibus frua-
ris, utque in primis industriam *TVAM* virtutemque insignem amplissima
praemia consequantur, vehementer opto, me vero *TVO* favori
maximopere commendo. Vale. Scripsi Lipsiae d. IX. April.
CIOIOCCCLXXII.

Leipzig, Diss., 1772 A-R



TA-70L

nur 23. Stck. höher verku.



EXERCITATIO IVRIS CIVILIS

A D

L. LXXIX. D. AD LEGEM
FALCIDIAM

Q V A M

P. 296.
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

C H R I S T I A N O R A V

PHILOSOPH. ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE

DIE XV. APRILIS A. O. R. CICIOCCCLXXII.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

S A M V E L B E R T H O L D

M E R S E B V R G,

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

